



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Series Episcoporum Archiepiscoporum Et Electorum
Moguntinorum, Trevirensium Et Coloniensium**

Kolb, Gregor

Rottwilae, 1725

VD18 12054054

XIX, Aribo Elector III.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64326](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64326)

à quo inunctus & consecratus est Moguntia Archipræful. In sede sua à Pontifice Sergio IV. confirmatus, monasterium extra Moguntia mœnia extruxit à S. Cruce hodie nuncupatum. Dedicacioni principis templi Bambergæ præsentibus Pontifice Benedicto VIII. & Henrico Cæsare adfuit unâ cum aliis 71. Episcopis. Inter beneficia à Cæsare impetrata venit illud, quo populationibus Comitibus Ottonis ob illicitas nuptias sacro fulmine percussi, Henrici Cæsaris autoritate facile est liberatus. Ecclesie suæ præfuit annis 9. sub prædictis duobus Pontificibus.

XIX, ARIBO ELECTOR III.

ARibo natus comes Palatinus doctrinâ sacrâ simul & profanâ instructissimus, epistolis omnino variis diversos ad illustrandam eruditionem viros invitavit. Inter monumenta Aribonis clarissima jure celebratur liber in Psalmos ab eodem elaboratus. Synodum unam Seligenstadij, alteram Moguntia, tertiam Francofurti instituit, quarum ultimæ 23. Episcopi interfuerunt, præsentibus Conrado II. Imperatore. Decreta saluberrima iisdem Synodis sunt firmata, præsertim verò, quæ jejunium vernum & quatuor temporum, à Germanorum plurimis neglectum, spectabant, & hodie supersunt. Modestiam ac prudentiam Archipræfulis singularem ex eo collegerunt æqui rerum Arbitri. Dum nimirum litem inter Willigisium & D. Bervvardum jam finitam Aribo denuo suscitavit, ea re grave negotium & fastidium faceffivit D. Gothardi monasterio. At demum causâ penitiùs discussâ, errorem suum publicè detestatus, veniam rogavit, veniam donans ipse quosvis suos adversarios. Annis 11. decoravit Moguntinam Ecclesiam; annorum ultimo die D. Conrado sacra Paderbornæ præsentibus Cæsare dixit ad concionem, ubi pariter Romam petendi copiam Imperatorem rogavit, & simul omnium suffragia imploravit, ut errores suos salutarî pœnitentia inter vivos posset eluere. Eluisse

verò

verò Aribonem suas qualescunque labeas censuit ipse Pontifex Jo-
annes XVIII. an. 1031. quo Aribonem brevè fatis concessurum ex
Italia in Germaniam remisit, ut corpus morbis confectum Germa-
nica tellus reciperet, animam verò virtutibus pretiosam Cœlum
fufciperet.

XX. D. BARDO ELECTOR IV.

D. Bardo ex perillustri Wetteraviæ familia natus, atque in
Hassia monasterio Hirsfeldensi Abbas electus, pedo
minore prælusit longè majori, quod dedit Moguntia
longè dignissimo. Moguntiam ubi pervenit, nihil antiquius ha-
buit, quàm ut ædem à Willigisio cœptam, & D. Martini honoribus
consecrandam, daret absolutam. quod utrumque evenit præsen-
te Conrado Cæsare & XVII. Episcopis. Inunxit idem deinde
Moguntia Archipræsul Henrici III. post Conradum II. Imperato-
ris conjugem alteram Agnetem Pictaviensem, & Ingelhemij Augu-
stis adstitit nuptiis. Propter eloquentiam sacram, qua in templis
& apertis campis ad confertissimum auditorem in viam virtutis
reducendum maximopere usus est, D. Præfuli Chrysofomo fuit
comparatus parique nomine cum eodem appellatus. An. 1051.
sedis 20. cum die Pentecostes sacra Paderbornæ ingentem populi
multitudinem, audiente etiam Cæsare Henrico, ad divini Pnev-
matis honorem augendum fuisset hortatus, mortem sibi brevè ad-
futuram prædixit vates, oracula dictante eodem divino Spiritu,
cuius beneficio D. Bardoni concessa esse alia dona maxima mon-
stravit D. Anno Coloniensis Elector, qui hominem membris
omnibus captum, Moguntia ad tumulum S. Bardonis in pedes ere-
xit testimonio totius populi publico. Sedit sub Pontificibus Be-
nedicto IX. Gregorio VI. Clemente II. Damaso II. & Leone IX.

XXI. LEOPOLDVS II. ELECTOR V.

L Leopoldus aliis Luipoldus dictus, inter Fuldenses & Bam-
bergenses aut Canonicus, aut Abbas celeberrimus celebra-
ri